

Conrad Schuckmann    Johann Voß

## **Exercitatio Academica De Investitura Feudi**

Rostochi[i]: Richelius, 1653

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732602114>**

Druck    Freier  Zugang



Adelsverleihung  
"Adel" "

Ru. jur. 1653.

Conrad Schückmann, Preis.

Johann Vofs, Rep.



6.  
EXERCITATIO ACADEMICA  
DE  
INVESTITU-  
RA FEUDI

Quam

DIVINA AUXILIANTE GRATIA

Consensu & auctoritate Amplissima Facultatis  
Juridicæ, in inclytâ ad Varnum Academiâ,

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET CONSUL-  
TISSIMO

DN. CUNRADO Schuckmann/

J. U. D. Præceptore ac Promotore suo ætatem  
Colendo.

Publico Eruditorum Examine subijcie

JOHANNES BOß/  
WESTPHAL.

AUTHOR ET RESPONDENS.

In Auditorio Majori ad diem 5. Januarii.

ne : zu


ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.

Anno cl. 19c LIII.

1653

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



## CUM DEO.

### Thesis I.

**T**otum jus inquit Jctus Ulp. *in l. fin. ff. de LL.* consistit aut in acqvirendo, aut in conservando, aut in minuendo. Cum verò inter tria isthæc, quæ universo juri tribuuntur, primum locum teneat acqviritio, mihi quoq; materiam aliquam juris feudalis, auxiliante Deo, publico Eruditorum examini exhibituro, imprimis investigare placuit, quæ ratione feudum acqviratur? Acqviritur autem illud solâ investiturâ *l. F. 25.* hac enim solâ ceu proximâ causâ omne feudum efficitur, omnisq; feudi Lex ex eâ solâ sumitur *l. F. 18.* nullâ hac in parte differentiâ habitâ inter feudum novum & antiquum. Non igitur placet sententia statuentium sex acqvirendi feudi modos, videl. Donationem, Emptionem, Permutationem, Successionem, Præscriptionem, & in possessionem inductionem; Distingvendum quippe est inter titulos acqvirendi obligationem, quales sunt Emptio, permutatio &c. & ipsum Dominii acqvirendi modum, qualis est actualis rei traditio, quâ propriè feudum acqviri dicitur. Nec enim contractibus, sed traditionibus, quarum species est investitura, rerum dominia acqviruntur *l. 20. C. de pass.*

2. Rectius proindè sentire videntur Schneid. *p. 4. de feud.* & Lindem. *Exerc. feud. 2. c. 4. th. 1. & seqq.* tradentes, feudum constitui quidem obligatoriè multis modis, tam inter vivos, putà promissione eaq; simplici vel vallatâ; quàm ultimâ voluntate, testamento scil. vel Codicillis, dum defunctus feudum ita alicui relinquit, ut post mortem suam heres eum investire cogatur, Rosenth. *de feud. cap. 6. concl. 3.* Vult. *de feud. lib. 1. c. 7. n. 12.* Acqviri verò demum per investituram. Isti enim supra memorati modi feudi constitutionem spectant, adeoq; investituram anteccedunt, & ad petendum eam efficacem producant obligationé Cl. Dn. Schnob. *Disp. feud. 5. th. 9.*

3. His generaliter præmissis ad ipsius propriè sic dicti acqui-  
rendi feudum modi investituræ delineationem accedo. Vox igitur  
investitura licet barbara nonnullis videatur, in ejusq; primâ origine  
indagandâ se plurimi juris interpretes torqueant, non incommo-  
dè tamen vel à Latino *vestire* aut *veste* appellari potest, inde  
quod eâ Vasallus velut vestimento quodam exornetur & induatur,  
unde contra, feudo aliquem privare devestire dicitur *l. F. 7. Vult.*  
*d. lib. 1. c. 7. n. 4.* vel etiam à Germanico *Vessen* quod firmare ac sta-  
bilire significat; credibile quippe est, Longobardos natione alias  
Germanos (à quibus jus nostrum feudale primam originem tra-  
hit) plurimas nationis suæ voces in suo idiomate retinuisse, & sic  
quoq; hanc vocem *investitum* in dicto significato usurpare vo-  
luisse. Non tamen vox investitura uno semper eodemq; modo  
accipitur, quandoq; enim instrumentum super actu investiendi  
confectum, alias dictum breve testatum *l. F. 3. 2. F. 32. Germ. Ein*  
*Lehen-Brieff* non rarò etiam ipsam feudi possessionem denotat. *2.*  
*F. 2. pr.* Frequentius verò, quo etiam propositum meum se flectit,  
pro investiendi actu sumitur, Germ. *Die Belehnmng* *2. F. 1. 8. & 25.*

4. Hoc ergo postremo modo investitura considerata bre-  
viter describi potest Realis feudi acquisitio. Fit autem vel de  
beneficio veteri, vel de novo *2. F. 3. pr.* Illa dicitur investituræ  
Renovatio, de qua infra; Hæc, quæ & in specie investitura appel-  
latur, sub dividitur in veram & præsumptam. Vera pro diversi-  
tate effectuum variè quidem definiti potest, si tamen obligatio ad  
mutuam fidem inter Dominum & Vasallum spectetur, omnium  
optimè definitur Contractus, *argum. c. 1. 2. F. 26. §. si facta l. 19 ff.*  
*de V. S. bonæ fidei arg. c. un. 2. F. 7. in f. Duaren. de feud. c. 19. n. 4.*  
nominatus, *Zal. Epit. feud. p. 1. n. 5. Schrad. de feud. p. 2. c. 2. n. 3. so-*  
*lenni feudi cessione constans 2. F. 2. Schnob. disp. feud. 5. th. 3.* sic  
quoq; investitura breviter solennis feudi cessio dicitur *Cuj. ad 1.*  
*F. 1. vers. si verò Archi-Episcopus* quæ descriptiones à meo instituto  
minime sunt alienæ.

5. Hæc, vera scilicet investitura vicissim distingvitur in rea-  
lem, quæ & propria, & verbalem quæ & abusiva nuncupari solet  
*c. unic. 2. F. 2. pr. Borch. de feud. c. 7. p. 1. n. 4.* Quæ distinctio, licet  
non

non ut formalis divisio, tamen ut materialis diversorum actuum distributio non ineptè sustinetur, tametsi contradicat Vult. de F. c. 7. n. 10. & 50. Realis autem seu propria fit per corporalem rei in feudum dandæ traditionem & apprehensionem: eoq; sensu investitura possessio appellatur, 2. F. 2. Verbalis seu abusiva fit, quando possessio non realiter traditur sed tantum analogicè, dum Symbolo quodam, putâ hastâ, gladio, vexillo, anñulo Voluntas Domini se investituram facere dicentis, indicatur d. c. un. 2. F. 2. Et hæc investiturâ possessio in Vasallum regulariter non transferetur arg. l. 3. §. 1. l. 8. ff. de acquir. poss. vide tamen limitationes apud Schrad, p. 5. c. 2. n. 15. proinde Vasallus abusivè investitus, necesse habet agere ad rei feudalis traditionem, ad quam etiam ex tali investiturâ Dominus præcisè obligatur 1. F. 4. pr. 2. F. 8. in fin. 2. F. 26. §. si facta.

6. Circa postterius divisionis membrum abusivam videl. investituram, multæ ab interpretibus juris moventur quaestiones: 1. enim quaeritur; An abusivè investito, Domino possessionem tradere recusante, licentia sit propria autoritate possessionem apprehendere, vel implorato officio judicis manu militari eam occupare? arg. l. 68. ff. de Rei. Vind. quod communiter Aff. Rosenth. c. 7. Concl. 15 Borch. de feud. c. 7. n. 10. Gail. lib. 2. Obs. 152. n. 14. in tantum, ut Dominus moram committens omnem interim utilitatem investito præstare cogatur 2. F. 7. in f. Mynf. Cent. 4. Obs. 61. n. 4. & seqq. Si tamen Vasallus ante investituram factam rem feudalem ex aliqua causâ pignoris forte commodati &c. corporaliter teneat, possessionem denuo corporaliter apprehendere opus non habet, sed tum voluntas Domini signo quodam externo declarata ad transferendam possessionem sufficit 1. F. 11. Rittersh. de feud. lib. 1. c. 9.

7. Quaeritur 2. Si contingat prius aliquem abusivè investi-ri, postea verò alii possessionem ejusdem feudi realiter tradi, uter eorum præferatur? Et cum apprehensio possessionis ad feudi acquisitionem omninò sit necessaria, & ante traditionem res non transferatur arg. l. pen. C. de R. V. posteriorem in possessione traditâ manere, statuo cum Rosenth. c. 6. concl. 9. & seqq. Fachin. 7. contr. 32.



8. Queritur 3. Annon utile dominium in abusivè investitum transferatur? Affirmatur id quidem à Duareno *de feud. c. 7. n. 6.* Rectius tamen cum Arumæo *diff. feud. 5. th. 9.* negatur. Nec enim tali modo investitus jus in re, sed tantum spem ad rem conficitur, ex qua actio personalis nascitur, quâ Dominus conventus omnino ad vacuum feudi possessionem tradendam cogi potest. *l. F. 4. 2. F. 7. §. 1. & 2. F. 26. §. si facta.* nec præstando interesse liberatur *arg. l. 11. §. 2. l. 31. ff. de act. empt. Mynl. 4. obs. 61. n. 5. per d. c. un. 2. F. 26 §. si facta.*

9. Ad abusivam investituram non immeritò refertur illa, quæ Vulgo dicitur Expectativa, Germ. *Ein Expectans oder Anwartsung* item *ein Gnadenlehen* quando quis de feudo, quod adhuc alius Vassallus agnationis fortè vel familiæ suæ ultimus tenet, eo etiam ignorante & invito, à Domino investitur in casum, quo per mortem Vassalli feudum apertum fuerit, *l. F. 9. pr. 1. F. 27. §. f. 2. F. 26. §. moribus.* quod contra juris Cæsarei regulas, ex consuetudine feudorum nec non jure Sax. *Lehenrecht c. 5. & c. 57.* apprimè defendit Vult. *de feud. lib. 1. c. 7. n. 65. & seqq. Gail. 2. Obs. 155.* Et hæc quidem Expectativa in heredes investiti est transitoria, et si contingat eundem ante Vassallum possessorem mori, quod similiter rejectâ contrariâ opinione probat Vult. *d. lib. 1. c. 7. n. 70.*

10. Nec minus ejusmodi expectativa in heredes Domini investientis, modo is Laicus sit, transit, ita ut investituram à defuncto factam ratâ habere cogantur *l. F. 3. inf. 2. F. 26. §. moribus* sicut & aliâs communiter heres factum defuncti præstare tenetur *l. 49. ff. de O. & A. l. 3. C. de reb. al. non alien.* diversum tamè obtinet in Clerico *l. F. 3.* diversitatis ratio est, quod heres quidè Laici succedat in univèrsum jus quod defunctus habuit *l. 62. ff. de R. I.* Clerici verò succedentes successione suæ causam nõ tam ab antecessore defuncto quam postulatione & electione Ecclesiasticâ habent *c. ad decorem 5. ext. de instit. c. apostolica 8. q. 1. Borch. c. 7. n. 19.* vide tamen limitationes nonnullas apud eundem *d. c. 7. n. 20.*

11. Porrò circa investituram quatuor inprimis consideranda veniunt, eaq; partim ad novam faciendam, partim ad veterem renovandam spectantia, partim verò utriq; communia, sunt autem

aurem 1. legitima ejusdem petitio 2. Testatio 3. Fidelitatis promissio & 4. in possessionem inductio, quæ tamen in abusivâ cessat.

12. Investituram [necessario 1. præcedere debet ejusdem petitio, idq; in signum reverentiæ Domino à Vasallus debita Curt. Jun. *de feud. p. 4. n. 45.* ut ita recognoscant Vasalli, se feudum beneficio Domini & primi acqvirentis magis, quam successione obtinere; ne item Domini jura oblitterentur aut Vasallus ignorantiam facile aut præscriptionem prætendat, Rosenth. *c. 6. cl. 46.* alias rationes addit Borch. *de feud. c. 7. n. 30.* petitionem istam fieri oportet expressè, humiliter, instanter; si tamen semel atq; iterum facta sit, sapius eam reiterare non est necesse, nec requiritur, ut Vasallus in genua procumbat, nisi forte Reges feudum conferant, aut loci consuetudo tale quid exigit, Lind. *Exerc. feud. 2. c. 4. th. 36.* Sed novi quidem feudi investitura ab his, quibus feudum obligatorie constitutum est, antiqvi verò seu paterni à proximis successoribus petitur Arum. *diff. feud. 5. th. 5.* utraq; etiam per alium putà procuratorem peti potest 2. F. 3. *vers. sed utrum.*

13. Petenda autem est investiturà à Domino immediate proximo vel ejus heredibus 2. F. 58. §. *item.* Sed quæritur, si Dominus pluribus relictis heredibus moriatur, an Vasallus à singulis eorum investituram petere cogatur? Et licet in decisione plius quæstionis plurimi dissentiant Zaf. *p. 7. de feud. n. 11.* Quia tamen Vasallus pro uno feudo plurimos Dominos habere 2. F. 55. §. *prætereà* aut plures fidelitates facere nō tenetur 2. F. 77. §. *tit. 102.* sufficit Vasallum desiderare, ut plures Domini defuncti heredes, unum ex se ad faciendam investiturà & recipiendam fidelitatem eligant, & si hoc impetrare nequit, unum quem velit adeat, habità tamen ratione præeminentiæ & ætatis Zaf. *d. l.* Rosenth. *c. 6. cl. 65.* Borch. *de feud. c. 7. n. 35.* Fachn. 7. *contro. 55.* Schnob. *Diff. feud. 5. th. 13.*

14. Hoc prætereà ad legitimam investituræ petitionem requiritur, ut fiat oportuno tempore: quod quidem in novi feudi investiturà certo jure definitum non est, si tamen Vasallus ad faciendam fidelitatem pro novo feudo, interposito convenienti tempore, tribus distinctis vicibus citatus non compareat, Dominus promissam investituram adimplere non tenetur, sed ex promissione

missione sua conventus exceptione actorem jure repellit 2. F. 24. §. 1. 2. F. 22. princ. Vult. lib. 1. c. 7. n. 2. Borch. c. 7. p. 1. n. 29. trinam autē distinctam citationem præcessisse oportet, nec sicut jure communi l. 72. ff. de judic. ita hic una peremptoria loco trium sufficit, propter expressos juris feudalis textus, Vult. d. l.

15. Veteris verò investituræ Renovatio, mortuo vel Domino vel Vasallo, intra annum & diem à tempore scientiæ computatum arg. l. 1. §. 1. ff. de jur. & fact. ign. omnino petenda est 2. F. 24. §. 52. in f. §. 55. præterea. Quod etiam novissimâ Car. V. Imp. Constitutione confirmatum R. A. Bon Rôm. Rans. Mayr. Reglement zu Wormbs de Anno 1521. §. und behalten uns bevor. vel saltem intra id spatium fidelitas offerenda 2. F. 40. pr. licet Jure Sax: annus & sex septimanae indulgeantur Vult. lib. 1. c. 7. n. 99. Cur autem jure feudali anno dies superaddatur? exacta quidem ratio reddi nequit arg. l. 20. §. 21. ff. de LL. Borch. de feud. c. 7. p. 1. n. 31. probabilis tamen hæc est, ne dies termini in termino computetur Mynf. §. Obs: 15. & Borch: d. l. utq; adeo certius existat, intra annū vel petitam vel non petitam esse investiturā arg. §. 2. Inst. de V. O.

16. Sed quod de anno & die ex juris feudalis text. supr. all. dictum, huic maxime refragari videtur c. un. i. F. 22. ubi anni & mensis mentio injicitur; in quâ antinomiâ solvendâ, variè interpretes se torquent. Lindem Exerc. feud. 2. c. 4. th. 30. Borch: c. 7. p. 1. n. 32. & alij inter militem & vasallum paganum distinguunt. Hotom. verò & Cujacius mensis vocem detrahentes textum corrigunt: alij deniq; d. c. unic. i. F. 22. per all. in præced: th: textus velut posteriores derogari statuunt Eguin: Baro ad d. tit. 1. F. 22. nobis vero magis placet sententia Vultei de feud. l. 1. c. 7. n. 104. qui d. quidem c. un. i. F. 22. de æquitas, superiores vero juris feudalis textus de stricti juris ratione interpretantur.

17. Quia igitur certum tempus petendi investituræ renovationem à lege definitum est, proinde Dominus invito vasallo illud coarctare nec protelare potest, in favorem enim vasalli introductum est arg. l. 4. §. 5. ff. d. Re jud. Borch. de feud: c. 7. p. 1. n. 36. quod tamen secus de jure saxon. se habet Vult. c. 7. n. 102. currit a hoc tempus demum à tempore scientiæ, mortuum esse vel Domi-  
num

num vel Vasallum vid. *supra* th. 15. Gail. 2. *obf.* 48. n. 8. Vult. *de feud.* c. 7. n. 111.

18. Quodsi verò Vasallus tempus à lege definitum negligat, amissione feudi plectitur 2. F. 24. 2. F. 52. in f. & 55. §. *prater ea.* nisi forte justum aliquod impedimentum, quo se excuset, allegare possit: talè justam excusandi causam faciunt infantia, justa absentia, mors, capitales inimicitia 1. F. 22. & nonnullæ aliæ quas recenset Vult. *b. tr. c. 7. n. 116. & seqq.* Minori verò 25. annis tempus illud in minorennitate currere quidem incipit, habet tamen is adversus lapsum temporis beneficium in integrum restitutionis *l. f. C. d. temp. in integr. rest.* Rosenth. c. 6. *Concl.* 70. Borch. c. 8 n. 18. Quæritur autem: An justam excusandi causam habenti ante lapsum terminum de eâ protestari necesse sit? Respondetur ex Vult. *de feud. c. 7. n. 133. & ab eo all.* Rosenth. c. 6. *cl.* 100. id quidem præcisè non requiri, sed & ex post facto impedimentum allegari posse, consultius tamen esse ad faciorem impedimenti probationem, quæ allegati incumbit, ante lapsum temporis protestationem interponi.

19. Illud etiam ad legitimam investituræ petitionem spectat, ut fiat loco congruo, qualis est curia vel habitatio Domini, ubi Vasallus Dominum requirere tenetur, sive per se sive per aliud 2. F. 3. *in f.* Vult. c. 7. n. 149. nisi tamen vel pactione vel privilegio prospectum sit, ne Vasallus aut extra territorium suum, aut procul ab eo investituram petere cogatur, cujus rei *Exempla* vid. apud Limn. *de jur. publ. lib. 4. c. 7. n. 22.* Carpz. ad L. Reg. c. 10. *sect.* 9. n. 8. 9.

20. Alterum circa investituram considerandum dixi esse testationem h. e. testium adhibitionem; Testes autem ad novam investituram adhibendi sunt regulariter pares curia 1. F. 2. §. 1. 2. F. 2. & 32. ne quid excogitetur falsitatis in perniciem Domini, aliis testibus inductis, corruptis forte pecuniâ vel gratiâ vel odio, quæ in paribus suspicanda non sunt 2. F. 85. §. *item, vers. idcirco* Borch. c. 7. n. 16. Vult. *lib. 1. c. 7. n. 26. iiq;* masculi non foeminae *d. c. un. §. f. 2. F. 32.* qui si absentes sint mox tamen reversuri, expectari debent 2. F. 33. *vers. Nec dicatur.* Recusantes verò etiam sub pœnâ citari possunt *arg. l. 2. §. 1. ff. si quis in jus voc.* quod si nec tum compareant, eo casu coram extraneis investituram peragi nihil nocet quæmadmodum & tunc

B

quan-

quando Dominus alios Vasallos non habet 2. F. 33. *versf. quod autem dictum.* In veteris verò renovatione etiam extranei testes rectè adhibentur non tamen famina, 2. F. 32. *versf. de veteri.* Sicuti etiam ad eam investituram quàm Clericus facit tametsi novam æq; extranei ac pares curiæ adhiberi possunt, 1. F. 26. §. 2. *versf. hec omnia,* Borch. *de feud.* c. 7. p. 1. n. 28.

21. Sed hæc quidem quæ de testibus dicta sunt, ex usibus feudorum stictè planè accipienda sunt, Duaren. *de feud.* c. 7. n. 3. *per text.* 2. F. 32. Ex hodiernâ tamen Germaniæ consuetudine, investituram coram quibusvis testibus (idoneis tamen) imò etiam absque ullis factam, modo Domini manus & sigillum eo nomine exhiberi possunt, nihilominus valere testes sunt Lindem. *Exerc.* 2. c. 4. *ib.* 40. Ern. Cothm. *vol. 3. Resp.* 41. n. 65. *Et seqq.* Vult. *lib. 1. c. 7. n. 59. per text. in c. un. 1. F. 2. §. 1. Et c. un. 1. F. 3. ibi, vel brevec testarum.*

22. Sequitur jam tertium investituræ requisitū, fidelitatis nimirū præstatio Germ. *die Lehenspflicht* ad hanc Vasallus omninò tenetur rã in novâ quam renovatâ investiturâ, & tam propriâ quâ abusiva, sed propriâ quidem præcedit, abusivam verò etiam sequitur, quod si hæc per Vasallum denegetur, Dominus quoq; investituram & ipsum feudum ei denegare potest 2. F. 3. *in f.* eam verò præstans sex illa quæ habentur, *in c. un. 2. F. 6.* semper in memoria habere debet Incolumè, tutum, honestum, utile, facile, possibile, quibus additur consilium & auxilium, *c. de forma. 22. quest. 5.* Quæ ipsa quorsum tendant, quidquæ singula denotent vid. apud Eguin. *Bar. add. c. un. Et communiter FF. all. 1.*

23. Fidelitas hæc præstatur vel juratò vel injuratò: prius ex lege est, posterius ex conventionione 2. F. 3. *in fin.* juramentum quo fidelitas promittitur à subjectionis nec non Assurationis seu domesticitatis, de quibus *c. tibi Domino dist. 63. Et c. un. 2. F. 5.* loquuntur distinctū est, ac propriè juramentū fidelitatis, *d. 2. F. 5. in f.* Vulgo etiã Vasallagium item Hominiū vocatur Lindem. *Exerc. feud.* 2. c. 4. *ib.* 42. vid. tamen Bocer. *de feud. invest.* c. 4. n. 5. 6. 7. forma ejus descripta extat 2. F. 7. quæ ipsa hodie quoq; observatur, nisi ex eâ vel cõventionione vel loci alicujus consuetudine nonnulla aut omitvantur aut eidem plura inserantur; quod si verò Vasallus aliã formã quam

mā, quam quæ antiquitus recepta & observata est, jurare jubeatur, juramentum reculare potest, Vult. *lib. 1. c. 7. n. 48.* Borch. *c. 7. p. 1. n. 39.*

24. Hoc juramentum ab omnibus Vasallis etiam clericis exigi potest, Vult. *de feud. lib. 1. c. 7. n. 43.* nisi tale feudum sit, quod ab aliquo per Ecclesiam detineatur *2. feud. 101.* vel si Vasallus minor fuerit *2. feud. 26. §. minori.* cujus tamen nomine hodie tutor jurare potest, Lind. *d. c. th. 44.* Non autem præcisè ipse Vasallus hoc juramentum præstare cogitur, nam & per alium jurare potest procuratorem nimirum speciale ad hoc mandatum habentem *2. feud. 3. in f.* qui tamen non in animam propriam sed animam principalis jurat *arg. l. 14. §. patroni C. de judic.* Quod si autem Dominus ex justâ quâdam causâ Vasallum præsentem esse velit, tunc omninò in propria persona ad juramentum præstandum comparere tenetur Vult. *lib. 1. c. 7. n. 39.* Schnob. *disp. feud. 5. th. 22.*

25. Juramento tali Vasallus se Domino obstringit ad fidelitatem & servitia præstanda, contra omnes homines solo Imperatore vel Rege & antiquiori Domino exceptis *2. F. 7. & 28. in f.* Sed nec contra se ipsum Domino auxiliari tenetur, hoc enim durum foret & crudelitati proximum, charitas quippe ordinata incipit à se ipso *arg. l. 6. C. de serv. & 29.* An etiam contra Patrem quod Affirmandum videtur propter express. text. *2. F. 28. in f.* Sed quia tam divina Dicalogi, quam humana jura *l. 2. ff. de j. & j. Nov. 12. c. 2. l. 3. & seq. C. de patr. pot.* summam reverentiam parentibus præstandā jubent, proinde dispositio *d. c. un. 2. F. 28. in f.* ad eum casum restringenda esse videtur, quo pater aliquid contra jus Divinum vel Gentium molitur, tum enim præceptis ejus juris adjuvari nequit, contra quæ ipse peccat *arg. l. 31. ff. de minor. Arumæus Disp. feud. 5. th. 29.* Licet autem Vasallus Domino eo quo dixi modo fidelitatem jurare cogatur, Dominus tamen contra Vasallo fidelitatem jurato promittere non tenetur, idq; honoris ac reverentiæ gratia, tum etiam quia beneficium alicui conferens præsumitur eidem fidem præstiturus in omnibus Borch. *c. 8. n. 140.* Giphani. *de feud. in not. ad Disp. 4. n. 46. arg. l. 13. §. pen. ff. de damn. infect.*

26. Conventionem, & pacto Juramentum remitti posse supr. th. 23. indicavi, sciendum verò est, etsi eo modo juramentum qui-

dem remittatur, neutiq̄vam tamen ipsam fidelitatem remissam esse censerī *arg. 2. F. 3. inf. & 24. inf. princ.* Fidelitas autem hæc occupata esse debet circa servitia honesta, *2. F. 7.* etiam in bello justo tamen, q̄vod scil. Imperatoris consensu geratur, præstanda Borch. *de feud. c. 7. p. 1. n. 44.* Servitia autem vel determinata sunt in investitura, vel non sunt determinata, priori casu tenore investituræ præstanda sunt *argum. c. un. 2. F. 18. & l. 1. ff. de pact.* modo honesta sint & possibilia, *arg. l. 6. § 3. ff. mand. l. 85. de R. I.* posteriori casu Vasallus toties operam suam Domino exhibere, imò non requisitus offerre tenetur, quoties cognoscat ei insidias strui vel magnum periculum imminere, *2. F. 24. §. 2. 2. F. 26. §. licet 2. F. 28. §. ad hæc Borch. de feud. c. 1. n. 24. Schnob. disp. feud. 8. th. 15.*

27. Quartum deniq; investituræ requisitum ad ejusdē con summationem pertinet, Estq; Realis feudi traditio & Vasalli in possessionem inductio, q̄va facta Vasallus liberum jus utendi fruendi consequitur *arg. 2. F. 8. §. 1. 2.* Et hæc quidem æq; in antiqui feudi renovatione ac novi acquisitione necessaria est, licet enim heres Vasalli in universa ejus jura succedat, *l. 24. & 62. de R. I.* possessionem tamen, nisi ea apprehensa vel naturaliter comprehensa sit, successione non consequitur, *l. 23. & arg. l. 12. §. 1. de acq̄vir. poss. Gail. 2. Obs. 152.*

28. Hactenus de vera investitura quæ expressâ Domini voluntate perficitur. Sequitur jam altera species investituræ præsumpta scil. in quâ ex temporis lapsu tacita Domini voluntas præsumitur, diciturq; præscriptio; si quis enim per 30. annos rem aliquam tanquam feudum possedit & servitium Domino exhibuit, licet expressa Domini voluntate investitus non sit, præscriptione tamen tanti temporis se tueri potest, *2. F. 26. §. si quis Duaren. de feud. c. 8. n. 2. Vult. cod. c. 9. n. 4.* Ex diuturnitate enim temporis solennitatem investituræ intervenisse præsumitur Gail. 2. Obs. ult. n. 6. Quemadmodum autem Vasallus 30. annorum possessione utile feudi Dominium acquirat, ita eodem modo ex natura correlativorum Domino quoq; directum alicujus feudi Dominium præscriptione tanti temporis acquiratur Vult. *de feud. c. 9. n. 17. Borch. cod. c. 7. p. 3. n. 10.*

29. Ut autem præscriptio procedat, tria concurrere oportet:

1. Ut

1. Ut Vasallus rem alienam immobilem per 30. annos sine usurpatione possederit, *d. 2. F. 26. § si quis*. Quod singulare est in feudis, sicut & illud, quod hic ratione spatii præscriptionis nulla fiat differentia inter res Ecclesiæ & seculares, Vult. *l. 1. c. 9. n. 8. Schnob. disp. feud. 7. tb. 29.* 2. Ut possederit tanquam feudum, non tanquam pignus Duaren. *de feud. c. 8. n. 2.* Si quis enim rem pignori vel hypothecæ sibi obligatâ teneat non ut feudum eam præscribere potest, *1. F. 27. Vult. lib. 1. c. 9. n. 12.* Cum nemo causam possessionis sibi mutare possit *l. 3. §. 19. l. 19. §. 1. ff. de acq. poss. l. 33. §. 1. pr. ff. de usurp. & usuc.* nisi tamen Vasallus probare possit, se postquam à Domino rem pignori accepit, eandem feudi nomine acquisivisse, *1. F. 4. §. 4. Borch. b. tr. c. 7. p. 3. n. 6.* 3. Ut possessor servitium interim Domino exhibuerit *2. F. 26. §. si quis*, sufficit tamen semel atq; iterum servitium Domino præstitum, vel possessorem ad præstandum saltem paratum esse *2. F. 26. §. licet 2. F. 28. §. adhuc* quod si verò Domino, cum opus fuerit, non assistat, jure suo cadit, *d. 2. F. 28. pr.*

30. Quæritur autem: An ad feudi præscriptionem justus titulus & bona fides requiratur? quod utrumq; negare videtur Lindem. *Exerc. feud. 2. c. 4. tb. 51.* æquius tamen est hac in parte jus Can. sequi, quo jure malæ fidei possessor nunquam præscribit *c. fin. X. de præscript. Rosenth. c. 6. cl. 142.* Vult. *l. 1. c. 9. n. 14.* quam sententiam in Camera Imp. approbatam esse testatur, Gail. *2. Obs. 18. n. 7.* Tituli tamen probatione opus non esse, quippe qui tanto temporis lapsu præsumatur, communiter statuunt *Dd. in §. si quis 2. F. 26.* præscriptione igitur Feudum acquisitum veri & recti feudi naturam induit, atq; Vasallus Domino etiam sine investitura verâ ad servitia obligatus est Duaren. *de feud. c. 8. n. 6.*

31. Hæcenus de investitura feudi novi & ex parte veteris actum est, adjectis iis quæ rã novi quàm veteris feudi investituræ cõmunia sunt. Nunc porrò in speciem Renovationem Investituræ examinare instituti ratio postulat. Ea vero nihil aliud est, quam feudi jam antea constituti nova recognitio & cõfirmatio, quam ipsam tummè necessariâ esse quinque rationibus probat Vult. *lib. 1. c. 7. n. 95. & seqq.* Cum autem tempus perendi ejusmodi Renovationem, tem effectum non petitæ, superius commoda occasione indicavi, proinde



h. i. causa istius petitionis, & quibus ea incumbat, investiganda est. Causam igitur petendi renovationem præbet mors vel Domini vel Vasalli 2. F. 24. i. F. 8. tenentur autem eam petere vel Vasallus ipse, vel hi qui ipsi succedunt *per all. text.*

32. Successio jure communi duplex est: una ex Testamento altera ab intestato, §. *fin. l. per quas pers. cuiq; acq.* Illa, cujus alias de jure communi semper prius habetur ratio l. 39. ff. de Acqvir. hered. l. 89. ff. de R. I. in feudis regulariter cessat i. F. 8. pr. adeo ut Vasallus feudum ne quidem pro anima judicare h. e. ad pias causas legare possit, 2. F. 9. §. *donare* & *ib. Gothofr. in not. l. c. 2. F. 55. vers. habito.* Borch. b. tr. c. 8. n. 43. Et hinc quoque est, quod liberi juxta, Nov. 115. c. 3. à Patre exheredati, licet ab allodiali, à feudali tamè successione non removètur. Quid verò, si testator rem feudalem alicui in testamento legaverit, annon ea tanquam res aliena ab herede legatario præstanda erit *arg. §. 4. J. de Leg. l. 39. §. 7. ff. de Leg. l. 1.* Negativè velut communi subscribunt Gail. 2. Obs. 154. n. 14. Rosenth. c. 7. *concl. 4.* Borch. de feud. c. 8. n. 43. quibus calculum nostrum merito adjicimus, cum hac tamè limitatione, nisi de testatoris manifesta & enixa voluntate aliud constet, hoc enim casu successor bonorum allodialium æstimationem rei feudalis legatæ (interdum etiam rem ipsam *arg. §. Titius 2. feud. 26.*) Legatario præstare tenetur, Ern. Cothm. Vol. 2. Resp. 65. n. 84. Lindem. Exerc. 2. c. 5. th. 2. Vult. lib. 1. c. 9. n. 152. Limitationes hujus thesæ vid. apud F. F. ut Borch. c. 7. p. 2. n. 5. & 6. Arum. Disp. 6. th. 5. Vult. lib. 1. c. 7. n. 167. text. 2. feud. 48. §. *sed qualitercunq;* Schnob. disp. 6. th. 5. & c.

33. Sed quia testamentaria feudi successio velut irregularis, exceptis nonnullis casibus, non admittitur, proinde ad Regularem, quæ lege defertur & ab intestato dicitur, progrediendum. Ea verò jure communi triplex est, Descendentium Ascendentium & Collateralium Nov. 118. Ascendentium quidem de jure feudali regulariter successio nulla est, 2. F. 50. cujus Regulæ elegantem rationem sup-peditat Duaren. de feud. c. 11. n. 10. Sed tamen & ab hac regulâ excipiuntur casus 1. si pater favore filii ut is investiretur refutavit feudum Rosenth. c. 7. cl. 27. vel filius ob patris bene merita investitus fuerit *arg. l. 6. ff. de coll. bon. vel etiam pacto de successione Ascen-*

scendentium in investiturâ prospectum sit *arg. 2. feud. 18. in f. his & similibus casibus ascendentes post descendentes in feudo succedunt vid. Borch. c. 7. p. 2. n. 9. Duaren. c. 11. n. n. Arum. Diss. 6. tb. 10. & 11.*

34. Ordo igitur succedendi in feudis legitimus & primus est Descendentium i. e. liberorum, & quidem in feudis non Regalibus in infinitum Rosenth. c. 7. concl. 18. Nullâ quidem fuitatis & emancipationis, Nov. 118. c. 1. & 4. Sed tamen legitimorum & naturalium differentiâ habitâ; prædicta ergò regula ad solos legitimos simulq; naturales liberos spectat. Legitimi verò tantum sive adoptivi, nisi pacto & consuetudine, in feudo non succedunt, 2. F. 26. §. *adoptivus arg. c. quamvis de Rescript. in 6.* Sicuti nec naturales tantum qui & nothi seu degeneres dicuntur, l. f. C. de Natur. lib. Vulgò Bastardi, quasi *Böse Utt.* Hi enim (licet jure communi l. 1. §. 2. ad Scl. Orphyt.) jure tamen feudali ne matri quidem in fœmineo feudo succedunt, Vult. c. 7. n. 178. Nec ii, qui ex matrimonio ad Morganaticam contracto nati sunt, 2. F. 29. 2. F. 26. §. *filij nati & ibi Eguin. Baro. Borch. b. tr. c. 7. n. 56.* Legitimati quoq; per rescriptum Principis & Oblationem curiæ, nisi specialiter ad hoc legitimentur, in feudo succedere nequeunt, 2. F. 26. §. *naturales.* Non tamen idem in legitimatis per subsequens matrimonium statuendum esse, communis omnium juris feudalis interpretum fert opinio *Dd. ad. d. §. naturales 2. feud. 26. per c. Tanta Ext. qui fil. sint leg.*

35. Præterea liberi à feudi successione repelluntur, quoties vel qualitas feudi, vel qualitas personarum obstat. Sic enim qualitas Feudorum Guardia, Castaldia & Soldatæ, quia isthæc personalia beneficia sunt, ea ad heredes transire non permittit, 2. F. 10. in f. Duaren. b. tr. c. 9. n. 13. Qualitas etiam personarum variis modis (vid. thes. præc. 34.) successione liberorum impedit. Quo pertinet, si filius Clericus factus sit, tum enim factus miles Christi seculi esse desinit, 2. F. 21. 2. F. 26. §. *qui Clericus 2. F. 50. in fin.* idemque in Militibus sacrorum ordinum obtinet Schnob. *diss. feud. 6. tb. 12.* Limitationes vid. apud Rosenth. c. 7. cl. 74. & seqq. & Fach. 7. cont. 37.

36. Similiter liberi qui Dominum vivo patre offenderunt, ex

qvo

quo possint feudo privari, nec ante mortem patris reconciliatio intercessisset, 2. F. 55 § *insuper*. Rosenth. d. c. cl. 77. licet diversum statuatur in §. *si voluerit* 2. F. 51. vid. Borch. *de feud.* c. 7. p. 2. n. 58 item animo & corpore imperfecti v. g. furiosi, mente capti, muti, surdi 2. F. 36. ad feudi successione non admittuntur, Hi tamen si non naturâ tales sint, sed post acquisitionem feudi tales facti fuerint illud retinent d. 2. F. 36. § 1. F. 6. arg. l. 1. §. 4. ff. *de postul.* l. 6. ff. *de jud.*

37. Fœminei sexus liberi ordinariè quoq; à feudi successione repelluntur, 1. F. 1. §. *hoc autem* 1. F. 8. *vers. filia verò* certis tamen casibus ad eam admittuntur & quidem 1. si feudum est fœmineum h. e. à fœminâ prius acquisitum, nec masculi existant d. 1. F. 8. §. *si filia* 2. F. 30. § 50. 2. si sit merè hereditarium de quo 2. F. 48. Gail. 2. *Obs.* 154. n. 9. Fachn. 7. *contr.* 6. 3. si eo pacto constitutum, tunc enim fœminæ deficientibus demùm masculis succedunt, 2. F. 17. Clarus §. *feudum quæst.* 73. n. 4. nisi à diversis primis acqvirentibus descendant, c. un. 2. *feud.* 18. Duaren. c. 10. n. 9. Addimus 4. si feudum est francum vel quod talia servitia contineat, ad quæ præstanta mulier idonea sit 2. F. 104. Vult. c. 9. n. 80. Fachn. 7. *contr.* 39. § *seqq.* Non tamen hoc ipsum ad feudum Emptum extendendum esse cum dict. Fachn. 7. *contr.* 37. & Ern. Cothm. vol. 4. *Resp.* 40. n. 9. concludo, eamq; sententiam in Camerâ observari testatur Mynscent. 5. *Obs.* 73. adde. Borch. c. 7. p. 2. n. 65. Vult. lib. 1. c. 9. n. 51.

38. Quæritur autè: An illis casibus, quibus succedere potest fœmina per masculum semel exclusa semper exclusa maneat? Quod secundum communissimam Dd. opinionem affirmandum videtur per c. un. §. *quin etiam* 1. F. 6. Fachn. 7. *contr.* 45. Borch. *de feud.* c. 7. p. 2. n. 36. Vult. c. 9. n. 85. & pleriq; alii. Benignius tamen esse, ut in feudi renovatione Dominus consanguineos Vasalli extraneis præferat, licet cogi non possit, statuit Gail. lib. 2. *Obs.* 148. n. 2. 3. Myns. 5. *Obs.* 16. § 6. *Obs.* 79.

39. Exclusis verò fœminis, meliorationes tamen & impenfas à defuncto factas rectè repetunt, & donec istæ refundantur feudum jure retinent 2. F. 28. §. *si Vasallus*. Dotem quoq; si alia bona allodialia non supersint, non solum à fratribus & agnatis sed & ipsi Dominis, cum his feudum apertum fuerit, ex feudo pro-

quanti-

quantitate ejus & dignitate personarum l. 60. ff. de jure dot. femi-  
nis solvendam esse, interpretes tradunt, Borch. c. 7. p. 2. n. 74. Co-  
ler. decis. 213.

40. In feudis insuper Regalibus, ne illa facile dividantur,  
non indistinctè liberi succedunt, in his enim primogenitorum po-  
tior habetur ratio, 2. F. 55. §. *præterea A. B. Car. IV. tit. 7.* Hic au-  
tem duæ se offerunt quæstiones gravissimæ, & antehac in quibus-  
dam Regnis non calamis tantum sed etiam armis agitata, quarum  
altera est: An primogenitus ante dignitatem patris natus, pri-  
mogenito post dignitatem à patre adeptam, in successione feu-  
di Regalis præferatur? Altera: utrum primogenito præmor-  
tuo, & filium juxta cum fratre secundò-genito relinquat, filius  
primogeniti, an frater superstes in successione feudi Regalis præ-  
ferendus sit? Ad priorem cum Hotom. *Illustr. quæst. 2.* Respon-  
detur tali adhibitâ distinctione; Aut speciali lege expressum est,  
ut filius Regis sive Principis natu maximus, vel primogenitus Regis  
aut Principis succedat, & tum post dignitatem adeptam primoge-  
nitus ante dignitatem primogenito meritò præferendus est, si ve-  
rò talis specialis lex non extet, quâ in specie Regis primogenitus  
denotetur, eo casu quin ad primogenitum (nullâ distinctione ra-  
tione dignitatis paternæ habitâ) feudum devolvendum sit, non du-  
bitatur. Posteriorem quod attinet, quia in successione descen-  
dentium potior habetur ratio, proinde filium defuncti patruo suo  
præferendum esse arbitror cum d. Hotom. *Illustr. quæst. 3.*

41. Post descendentes & Ascendentes (qui tñ certis tantū casu-  
b<sup>o</sup> admittuntur, de quibus supra *tb. 34.*) succedunt collaterales, habitâ  
distinctione Agnatorum & Cognatorum; ad illos enim, non hos suc-  
cessio feudi pertinet, 1. F. 11. *vers. his verò deficientib.* item feudi no-  
vi & antiqui; in hoc enim, minimè verò in illo successio Collate-  
ralium admittitur, 1. F. 8. *in fin. item tit. 12. §. 14. in f. 2. F. 11.* licet com-  
muniter & simul illud acceperint, 1. F. 1. §. 2. *vers. quòd etsi 1. F. 14.*  
§. *si duo.* nisi tenore investitura successio Collateralium in Feudo  
novo comprehensa sit, 1. F. 20. Rosenth. c. 7. cl. 127. vel Dominus feu-  
dū novum jure veteris alicui cõcesserit, quod fieri potest *arg. l. 21. C.*  
*mand. Schnob. disp. feud. 2. tb. 8.* Vel si Dominus sciens illū liberos  
C non

non habere, fratres verò cohabitent, feudum pro ipso & ejus heredibus concedat, idq; ex præsumpta Domini voluntate ob nomen *heredibus* Rosenth. c. 7. cl. 127. vel si alter fratrum Domino sciente ex communi pecuniâ feudum emerit, vel etiam duo fratres in bello simul aliquod feudum promeruerint, d. 1. feud. 20.

42. Inter Collaterales autem primum locum tenent fratres, tam germani quam consanguinei, exclusis regulariter uterinis. Et quidem si soli sunt fratres vel fratrum liberi, in capita succedunt, si verò concurrant fratrum liberi cum patruis, in stirpes, 1. F. 11. arg. l. 2. §. 2. ff. de suis & leg. & expresso Recessu Imperii de Anno 1521. ju Nürenberg) & Anno 1529. ju Speyer/ tit. Wie Bruder und Schwester Kinder etc Vult. de feud. c. 9. n. 125. Post fratres verò fratrumq; liberos admittuntur reliqui Agnati defuncto Vasallo non verò primo acqvirenti proximiores 2. F. 50. in fin. Borsb. h. tr. c. 7. p. 2. n. 84. Hi enim posteriores excludunt 2. feud. 11. vers. his verò. Pares verò gradu pariter admittuntur, Nov. 118. 63. Auth. post fratres C. de Leg. hered. Sed utrū Agnati in infinitum juxta 2. F. 31. & 50. an usq; ad quartum vel septimum geniculum 1. F. 8. §. 1. admittantur? controversitur: Puto tamen cum Duarenò c. 11. n. 16. priores textus de novo, posteriorem verò de jure veteri intelligendum esse. Semper enim ultimus Agnatus primi acqvirentis successor intelligitur, licet per mille manus feudum ambulaverit Borch. de feud. c. 7. p. 2. n. 93. Gail. 2. Obs. 150. Myns. 2. Obs. 95.

43. Uxoris autem & mariti jure feudali nulla successio est 2. feud. 15. & 2. feud. 13. nisi id specialiter in investiturâ expressum sit, Vult. lib. 1. c. 9. n. 247. in f. ejus elegans exemplum refert Duaren. c. 11. n. 16. jure vero Saxonico uxori in compensationem dotis, revera illatæ (quæ hoc casu ad maritum transit) Dotalitium h. e. illa donatio, quam facit maritus uxori nobili in compensationem dotis, ut eâ usq; ad vitam fruatur Germ. ein Leibgedinge in feudis constituitur, in quo uxor ad vitam instar usufructuariæ est, mortuâ verò eâ ejusmodi dotalitium ad proximos Mariti heredes feudales redit, Matth. Cöler. decis. 57. n. 57. consulantur & alii Juris Saxonici scriptores.

44. Est & alia successionis feudalis species, quæ dicitur

69A-

Conventionalis, quæ certo pacto ac conventione Principum ac Illustrium personarū Vasallis defertur, vocatur etiam Pacta Gentilitia, Germ. *Ein Erbvereinigung/ Erbverbrüderung*/ quibus agitur, ut alterius stirpe extinctâ ad alterum Principatus certa successione lege perveniat, eaq; contra juris civilis & Can. dispositionem, quâ pacta de futura successione tanquam contra bonos mores & votum captandæ mortis inducentia non subsistunt, Schnob. *disp. Pand. 2. th. 25. valere*; modo ab Imperatore approbentur Dan. Otto *de jure publ. c. 11. pag. (mibi) 259.* : testatur Lindem. *ad Exerc. feud. 1. Parerg. 8. & Gail. 2. Obs. 127.* suspicio enim captandæ mortis de Illustribus personis non præsumitur.

45. Hic non incommode quæritur: An Vasallus repudiata hereditate, quæ forte ære alieno est onerata, feudum retinere possit? Respondeo distinguendo inter feudum novum & antiquum: si n. est novum, nemo potest hereditatem repudiare & feudum retinere, sin verò Antiquum vel paternum, illudq; aut hereditarium *Ein Erblehen*/ aut ex pacto & providentiâ constitutū *Ein Stamlehen*/ prioris geueris feudum Agnatus non potest acquirere repudiatis bonis allodialibus; feudum verò ex pacto & providentiâ retinere potest repudiata hereditate Borch. *de feud. c. 7. p. 2. n. 94.* Filius tamen hoc in casu ab Agnato non nihil differt; ille enim sive sit hereditarium feudum sive ex pacto & providentiâ, minimè potest repudiare hereditatem & feudum retinere *2. feud. 45. & 2. feud. 51. §. filius*, quod quamvis durum videatur ratione tamen non caret; Duarenus *de feud. c. 11. n. 9.* probabilem hanc suppeditat, quod in injuriam patris tendat, si æs alienum non persolvatur, jure enim civili antiquo filius erat suus & necessarius heres *§. 2. J. de hered. qual. & diff.* exinde inhumanum contraque pietatem esse arbitratur, ut propter æs alienum patris repudietur hereditas. His habitis distinctionibus etiam ad illam quæstionem: An nimirum æs alienum ex feudis sit solvendum? responderi facilius potest, Vult. *de feud. lib. 1. c. 9. n. 237. & 240.* Julius Clar. *§. feudum quæst. 76. per tot. 2. feud. 26. §. licet Vasallus.*

46. Quæritur Ulterius: Ad quem, nullis extantibus hereditibus feudi capacibus, fructus istius anni, in quo Vasallus moritur  
perti-


pertineant? Resp. Aut Vasallus mortuus est ante Calendas Martii, aut post Calendas intra mensem Martium & Augustum, aut deniq; mortuus est post Augustum, primo & ultimo casu omnes istius anni, quo Vasallus mortuus est, fructus tam naturales quam industriales, tam percepti quam percipiendi vel in successorem agnatum transeunt, vel in Dominum si ei feudum aperiatur. Secundo verò casu, quando Vasallus mortuus est intra mensem Martium & Augustum, fructus ejus anni quo Vasallus obiit, ad heredem ejus feudi alias incapacem spectant, 2. feud. 28. §. his consequenter, Borch. de feud. c. 7. p. 2. in fin.


46. Illud ultimo loco prætermittendum non est, quod sc. pacta varia investituræ adjici soleant, eaq; omnium primo & diligenter in controversiis feudalibus attendenda sint 1. feud. 14. §. fin. nam pleraq; jura feudi pactis mutari possunt, arg. l. 1. §. si convenit, 6. ff. de positi: Hæc tamen substantiam feudi non evertunt, licet quoad accessionem sive accidentia naturæ ejus derogent Gyphan. tract. feud. c. 5. n. 5. Vult. lib. 1. c. 7. n. 55. modo sint licita & honesta, arg. l. 26. ff. de V. O. Pacta autem illicita & inhonesta sunt, 1. Ne fidelitas à Domino & Vasallo præstetur arg. l. 7. §. 7. ff. de pact. 2. pactum commissorium, quod in Emptione quidem admittitur t. t. ff. de L. commiss. in pignoribus tamen & feudis tanquam æquitati & bonis moribus adversum l. fin. C. de pact. pign. R. J. de Anno 1577. sub ordinat. polit. tit. 20. §. und die well man & 1. F. 17. severe prohibetur. Itē pactum ne feudum ob ingratitude amittatur merito rejicitur tanquam nullius momenti: Est enim contra bonos mores, quoniā præbet occasionem delinqvendi Vult. lib. 1. c. 7. n. 55. vers. non tamen &c.

SOLI TRINUNI DEO SIT LAUS  
GLORIA ET HONOR.









quæ certo pacto ac conventione Principum ac Illarū Vasallis defertur, vocatur etiam Pacta Gentilitatevereinigung/ Erbverbrüderung/ quibus agitur, ut auctoritate ad alterum Principatus certa successionis lege; contra juris civilis & Can. dispositionem, quæ pacificatione tanquam contra bonos mores & votum s induentia non subsistunt, Schnob. *disp. Pand. 2. modo* ab Imperatore approbentur Dan. Otto *pag. (mibi) 259. : testatur Lindem. ad Exerc. feud. 1. 2. Obs. 127.* suspicio enim captandæ mortis de Illis non præsumitur.

non incommode quæritur: An Vasallus repudiata forte ære alieno est onerata, feudum retinere non potest distinguendo inter feudum novum & antiquum: nemo potest hereditatem repudiare & feudum retinere antiquum vel paternum, illudq; aut hereditarium ex pacto & providentia constitutum. *Ein Stamleben/* feudum Agnatus non potest acquirere repudiatis; feudum verò ex pacto & providentiâ retinere hereditate Borch. *de feud. c. 7. p. 2. n. 94.* Filius tamen ab Agnato non nihil differt; ille enim sive sit hereditarium sive ex pacto & providentiâ, minimè potest hereditatem & feudum retinere *2. feud. 45. & 2. feud. 6. u. n. 9.* probabilem hanc suppeditat, si patris tendat, si æs alienum non, per solvendum civili antiquo filius erat suus & necessarius hereditatem. *qual. & diff. exinde inhumanum contraque irritatur, ut propter æs alienum patris repudietur patris distinctionibus etiam ad illam quæstionem: si æs alienum ex feudis sit solvendum? responderi facilius potest. d. lib. 1. c. 9. n. 237. & 240. Julius Clar. §. feudum quæst. 26. §. licet Vasallus.*

Ad quem, nullis extantibus hereditatis, fructus istius anni, in quo Vasallus moritur pertinet.